

μον τον καλεσμενον Δανθειν &c. Ab-
rumpitur in Codice in his verbis:
*Nos talia nunquam audivimus, qua-
lia a te (o Juda!) hodie audire po-
tuimus. (Ἡμεῖς τοιαυτα οὐκ η̄κουσα-
μεν, οἷα παρὰ σε νῦν.)*

CCCCXLVI.

U. 202 Codex chartaceus lat. Sec. XIV.
exeuntis Folior. 264. 4. currente
calamo exaratus, rubricisque di-
stinctus *Homiliarium* et *Lectiona-
rium* est, conscriptum olim, ut vi-
detur, in usum cujusdam Coeno-
bii O. S. *Benedicti*, ab Adventu
pertingens usque ad Quadragesi-
mam. Patres, quorum aut integros
Sermones, aut Excerpta recepit,
sunt: *Maximus, Leo, Augustinus*,
et hi quidem plurimam facientes
paginam, *Fulgentius, Isidorus*,
*Severinus, Johannes Chrysf. Seda-
tus, Faustus, Faustinus, Ambro-
sius. Augustini* multa non esse ge-
nuina et in Edit. *Maur. Adpendi-
cibus* quaerenda facile quis secum
statuet. Sed et ad reliquos ordine
Codicis, qui Articulos ultra CXXX.
complectitur, quaedam erunt ob-
servanda. *Fol. 21.* habentur *Le-
ctiones in Natali Domini ex Isaia*
pro nocturno Officio. *Fol. 72.*
Sermo *Isidoro* inscriptus et incipi-
ens: *Oportet nos fratres karissimi*
gaudere et exultare &c. recen-
sensusque ostenta in Domini Nati-
vitate *Romae* exhibita, spurcius est.
Fol. 87. p. 2. Sermo alter eidem
tributus: *Johannes apostolus et e-
wangelista filius Zebedei &c.* est
C. 73. Libelli ejusdem *de Vita*
et Morte Sanctorum, edit. *Breul.*

p. 541. *Fol. 88. De ecclesiastica*
Historia. Est *Eusebii Pamph. L.*
III. c. 23. Narratio nota de Juve-
ne ab *Johanne Evang.* adamato.
*Fol. 89. p. 2. In natali innocenci-
um sermo sancti seuerini*, est Ser-
mo ille incipiens: *Zelus quo ten-
dat, quo profiliat liuor &c.* qui le-
gitur inter Sermones *Petri Chry-
sol. n. CLII.* et in *Alcuini Homi-
liario*, referturque a quibusdam ad
Severianum Gabalorum Ep. olim
ex amico *Johannis Chrysof.* ae-
mulum; ab aliis vero, quoniam
graece non extat, ad latinum po-
tius hominem, et memorat *Ducan-
gius* ex *Biblioth. Sangermanensi*
Severini cujusdam *Abbatis Sermo-
nes* in hoc Festum. *Fol. 99. p. 2.*
Sermonem *sancti sedatii de kal.*
Januarij ita quidem etiam inscri-
ptum testantur in perantiquo Co-
dice *Floriacensi* Editores *Augusti-
ni Mauriani*; dubitant autem, an
non potius legendum sit *Cesarii*.
Ab *Augustino* certe abjudicantes
in T. V. *Adpend. col. 235.* loca-
runt, interim non ignari extitisse
Sedatum quendam *Biterrensem*
Ep. uti et *Nemausensem*, quorum
ille a. 589. Concilio *Toletano* et
Narbonensi, hic vero a. 506. *A-
gathensi* et a. 507. *Tolosano* in-
terfuit. In ipso Sermone *Codex*
noster non *Juvenecam* aut *Anulas*,
aut *Agniculam* sive *Anniculam*, sed
Anguiculam legit, et finem versus
omittit *quintam et sextam feriam.*
Fol. 104. habentur *Lectiones ex*
Isaia In die sancto theophaniae.
Fol. 111. Sermo inscriptus *Ma-
ximo* est *Leonis XXXIII.* et III.
de Epiphania. Fol. 115. eodem
modo

1065

P A T R I S T I C I

1066

modo pro *Johanne Chryf.* repou-
 nendus *Leo Serm. IV. de Epiph.*
Fol. 121. rursus ponendus *Leo*
Serm. V. de Epiph. pro *Maxi-*
mo. Fol. 138. Sermo *Faustini* epi-
 scopi de Nuptiis in Cana, potius
Fausti Regiensis, habetur inter
Homilias Eusebii dicti *Gallicani*
 T. VI. *Bibl. PP. Lugd. n. II. p.*
 623. verum multo amplior, quam
 in exemplo praesente, quod inci-
 pit: *Proxime est fratres karissimi*
quod die tertia nuptias factas et
quod aquam in vinum conuersam
fuisse modo cum legebatur audiui-
mus. &c. Fol. 154. Sermo de ca-
 thedra sancti Petri, qui a *Mauria-*
nis in T. V. *Opp. Augustini* in *Ap-*
pend. col. 319. rejectus incipit:
Quamuis solempnitatis festiuitas
hodiernae a nobis merito honoretur
 &c. hic *Maximo* adscribitur, et

Codex:

id quod descripsimus
Non, inquit, dicam vos
praeibit officii
utrumque nobilitat
Amicitia ipsa firmissima
Domini amicos fieri
viciniores erimus
adulatione ambiuntur
laudabiles adnunciemus
dicemus de his
vocabulo nuncupantur
omissum.
Nam haec prima Saluatoris
ad dominicam refectionem
voluntatis lasciuitate
Nam ideo illa die

ante se habet alterum illum: *Insti-*
tutio sollempnitatis hodiernae a se-
nioribus nostris &c. qui, cum *Mau-*
rianis eodem stilo conscriptus et
 quandoque in unum corpus reda-
 ctus cum sequenti visus fuerit, si-
 quidem *Maximi* fit, in novissima
 ejus Edit. *Romana 1784.* splendi-
 de non minus, quam docte a *Brun-*
Bruno e *Sch. P. f.* curata deside-
 ratur. *Fol. 155.* Sermo *cujus su-*
pra. Igitur *Maximi?* Consentit E-
 ditor mox laudatus, qui primus il-
 lum e *Mss.* extulit, ut habes *col.*
 635. inscriptum: *In natali pluri-*
morum Confessorum. In nostro *Cod.*
 manus alia margini adjecit *Mathie.*
 Init: *Heret sensibus uestris fratres*
 &c. Non abs re fuerit lectionis di-
 screpantiam Lectoris arbitrio de-
 ferre.

Editio:

in quo descr.
Non, inquam, d. v.
praeit off.
utrumque nobilitate
Amicitia ipsa firmata est
Deum amicum fieri
vic. sumus
adul. ambiguntur
laud. annunciamus
dicimus de his
eos voc. nuncupabimus
die dominico
Nam hoc prima Christi
die dominico ad refectionem
voluptate lasciuitate
Ideo omiff.

In aliis quibusdam peccat Codex. Fol. 156. p. 2. *Lectiones VIII. in festiuitate beati Benedicti*, cum subsequo prolixo Sermone. *Lectiones* hae depromptae sunt e *Dialogorum Gregorii M. L. II. edit. Maur. T. II. col. 208.* Sermo vero, utut ἀδελφοτος, est Odonis II. Abb. *Cluniac. a. 942.* defuncti, extatque in *Bibl. PP. Lugd. T. XVII. n. III. p. 263.* hoc initio: *Festiuā beatissimi Benedicti sollempnitatis christo Domino propiciante &c. Fol. 194. Epistola albini (Alcuini) abbatis ad Karolum imperatorem de septuagesima sexagesima et quinquagesima, una cum Caroli Responso, prout extant in edit. Ratisb. 1777. T. I. P. I. p. 85.* Initium prioris: *Benedictus dominus deus pater &c.* Alterius: *Karolus — Peruenit ad nos epistola missa &c. Fol. 229. Sermo Sancti Maximi episcopi. Rescribē S. Leonis Papae; est enim Sermo hujus XLII. de Quadragesima V. incipiens: Apostolica Dilectissimi doctrina nos ammonet &c.* In universum tota haec Collectio a parte sua aestivali abijuncta multum cum *Homiliario*, quod ab *Alcuino*, iubente *Carolo M.* collectum saepius lucem adspexit, convenit.

CCCCXLVII.

R. 3305 Codex membraneus lat. Sec. XI. relictus tamen et subpletus quibusdam locis Seculo seq. Folior. 238. f. eleganter scriptus et rubricis distinctus, sed usu aliquantum tritus *Homiliarium* est quadragesimale pertingens a *Dom. in Se-*

ptuagesima usque ad *Pascha*, ad quod contribuerunt PP. sequentes: *Gregorius M. Augustinus, Ambrosius, Petronius* hic dictus *Episcopus Ueronensis, Leo M. Maximus, Johannes Chryf. Hieronymus* et *Beda* permixti. Atque hic generatim observandum est, quando in Rubricis ejusmodi Collectionum occurrit *Unde supra*, vel *Ejusdem*, non illico id referendum esse ad Autorem, sed saepe intelligi *Lectionem Evangelicam*, quae pluribus *Homiliis* exponitur. Quod porro *Collectionem* praesentem commendat, et dubio procul *Lectorem* eruditum jam advertit, nomen est *Petronii*. Nihil hic de *Bononiensi*, quem tamen eloquentiae ratione confundi a *Literatoribus* cum nostro putem; *Veronensem* habemus Praefulem ordine XXXI. post medium *Seculi V. doctrina*, ut ait *Ughellius T. V. col. 695. et eloquentia illustrem*, quemque *Martyrologium Rom. ad diem 6. Septembr. commemorat.* *Scriptorum* ejus, quod sciam, nihil hactenus in publicum notum fuit praeter priorem ex binis nostris *Sermonem*, quem indicante mihi viro docto et amico *Jac. Morellio* Bibliothecae *D. Marci Venetis Praefecto* in *Scip. Maffaei Osservazioni letter. T. VI. Verona 1740. p. 232.* deprehendi. Docuit idem *Morellius*, agi de hoc *Sermone* a *Barth. Perazino* reproducto in *Opere dei Santi Veronesi a. 1786. Verona* in lucem dato ab erudito *Canonico March. Dionysio*. Quoniam vero Codex noster in non paucis ab *Ex-*
emplo